DE FEBRIS PUERPERALIS EPIDEMIA,

QUAE

MENSIBUS FEBRUARII ET MARTII A MDCCCXLV IN LECHODOCHIO HEIDELBERGENSI GRASSATA EST,

SCRIPSIT

CONSENSU ET AUCTORITATE

GRATIOSI MEDICORUM ORDINIS

IN

ACADEMIA HEIDELBERGENSI

CAROL. AUG. KRÜGER,

HAMBURGENSIS,

MED. CHIR. ET ART. OBSTETR. DOCTOR.

HEIDELBERGAE MDCCCXLVI.

TYPIS JULIANI GROOS.

VIRO

ILLUSTRISSIMO, AMPLISSIMO, ORNATISSIMO

FRANCISCO CAROLO NÆGELE,

philos., med. et chir. doctori, magno duci Badar. a consil. intim, ordinis magn. duc. Bad. leonis Zahring. praefecto, regis Dan. ordin. Danebroch. equiti, med. et art. obstetr. professori publ. ordin., instituti obstetr. clin. Heidelbergens. directori, academ. imp. Moscoviens. natur. curios., academ. reg. med. Paris., soc. physic. Londin., soc. reg. med. Havniens. et Holmiens., soc. imp. med. ac universit. Wilnens., soc. art. med. Boruss., soc. med. et natur. curios. Berolinens., Bonnens., Bruxellens., Divionens., Hamburgens., Heidelbergens., Jassiens., Lipsiens., Lugdunens., Moguntin., Massiliens., Neo-Eboracens., Philadelphiens., Rostochiens., Taurinens., Vindobonens., Veteraviens., soc. artis obstetr. Berolinens. etc. socio,

PRÆCEPTORI DILECTISSIMO,

OPTIME DE ME MERITO,

VIRO MAXIME VENERANDO

GRATO PIOQUE ANIMO

HASCE STUDIORUM PRIMITIAS

D. D. D.

AUCTOR.

Inter omnes fere morbos nullius natura tam obscura tamque inexplorata nobis est, quam febris puerperalis. De qua quamquam permulti viri doctissimi scripserunt, tamen haud pauca restant quae dubitationem nobis afferant et ad iteratum ejus morbi studium atque indagationem provocent. Quae quum ita sint, necesse mihi esse videtur, pro sua quemque facultate, ea, quae vel ipse nova invenerit, vel iam inventa confirmaverit, quaeque facere possint ad totius morbi naturam aperiendam atque explicandam, in lucem proferre. Quum vero omnium summum sit, ut omnes eius morbi epidemiae, quales in majoribus institutis obstetriciis interdum exsistunt, accuratissime describantur et in hac descriptione omnia, quae alicujus momenti esse videantur, diligentissime referantur: hujus dissertationis mihi argumentum proposui eam epidemiam ineunte vere MDCCCXXXXV in domo obstetricia Heidelbergensi, in quo instituto tum temporis medici assistentis munere fungebar, coortam, quam a me ad finem usque observatam vir doctissimus summeque venerandus Ill. NÆGELE mihi tractandam concessit ita ut etiam in ipsa tractanda

hac materia pro notissima sua humanitate liberalissime me adjuvaret.

Antequam autem accedam ad ipsius epidemiae descriptionem, monenda pauca videntur et de morbis, qui in instituto illo exsistere solent, et de ipsius domus situ atque institutione.

Lechodochium Heidelbergense in numero majorum hujus generis institutorum Germanorum refertur, quippe in quo circa treceni partus singulis annis fiant. Neque solum ex ipsa terra Badensi feminae praegnantes ad hoc receptaculum refugiunt, accurrunt ex Bavaria, Wurtembergia, Hassia aliisque terris vel his remotioribus, et quum non tantum paululum ante ipsum partum adveniant, sed etiam per plures menses haud paucae feminae commorentur, semper quinquaginta vel sexaginta gravidae in hac domo inveniuntur.

Ipsa domus, qua abhinc annum et dimidium utimur, magna atque ampla, prope fluvium Nicrum sita est, inter quem et ipsam domum magna aedificia et locus publicus interjacent. Ea aedium pars, quae infima est, feminarum gravidarum conclavia, culinas, et quae sunt reliqua ejusmodi spatia continet; secunda contabulatio auditoria, illa conclavia in quibus et instrumenta et pelves conservantur, compluria apta ad recipiendas eas, quae ignotae atque occultae pariunt, et pauca quaedam nunc quidem illis feminis concessa, quae artis obstetriciae studiosae sunt, si opus fuerit etiam in puerperarum usum convertenda. In tertia denique contabulatione pluria conclavia sunt parturientibus feminis

destinata et duo permagna in usum puerperarum, inter se amplo spatio divisa, a quibus distat aliud quoddam conclave in eundem usum destinatum. Praeterea plura parva inveniuntur conclavia, quae unam tantum alteramve puerperam capiant, et solitariam aegrotis habitationem praebeant. — Majorum illorum amborum conclavium alterum, cui numerus 1 adscriptus est, meridiem versus spectat, alterum No. 2 septentriones versus, utrumque sex puerperis est destinatum, quamvis sine noxa plures ibidem cubare possint. Tertium illud conclave No. 3, quod septentriones versus spectat, quatuor continet lectos. In secunda contabulatione conclave magnum, No. 4, eadem est magnitudine, qua No. 1 et 2.

Haec brevis conclavium, quibus numeros adscripsi, descriptio necessaria mihi videbatur, si quidem in ipsa narratione ad singula quaeque conclavia saepius respiciendum mihi erit.

Pauca mihi liceat addere de ipsa instituti hujus historia. Institutum obstetricium Heidelbergense usque ad mensem Augustum anni MDCCCXXXXIV in alia quadam sedem suam habebat domo minori, cujus situs multo etiam minus erat opportunus. Mense Majo anni MDCCCXXXXIV, clinico medico atque chirurgico, quae diu ibi exercita erant, remotis, ipsa domus, quam nunc tenemus, in artis obstetriciae usum est instructa, postquam plurima pavimenta refecta, omnisque domus denuo dealbata et omnino instaurata est. — Inde a mense Augusto a puerperis gravidisque habitata est.

Institutum obstetricium Heidelbergense, id quod est notissimum, in conservanda et restituenda et matrum èt liberorum valetudine prospero gaudet successu per summam viri clarissimi Nægele experientiam, curam, diligentiam; idemque fieri solet in febri puerperali, nam et omnino rarius exsistit, et breviores sunt epidemiae, et rarissime fit, ut puerpera morbo succumbat.

Per decem annos tres coortae sunt epidemiae, quarum prima exstitit anno MDCCCXXXV, altera anno MDCCCXXXX, tertia anno MDCCCXXXXV. — Praeterea singulis fere annis singuli acciderunt morbi, quorum tamen fere semper caussae externae investigatae sunt.

Jam quod attinet ad priores illas epidemias, eas quidem, ut a me non observatas, missas faciam statimque accedam ad illam tertiam epidemiam ineunte vere anni MDCCCXXXXV coortam.

Inde ab initio habitationis in nova domo (mense Augusto a. MDCCCXXXXIV) usque ad mensem Januarium MDCCCXXXXV nulla omnino puerpera in adversam valetudinem incidit. Per hoc tempus 150 circa feminae vel facile vel difficilius enixae sunt, omnium vero puerperia, quoad ejus fieri in tali re potest, facilia fuerunt. Si una alterave feminarum minus bona valetudine fuit, hac ipsa aegritudine jam ante partum erat affecta; inter ipsum puerperium nullus morbus ortus est.

In ipsa urbe per auctumnum hiememque neque alii multi acciderunt morbi, neque typhus, qui morbus Heidelbergae haud raro accidit.

Prima in morbum incidit Catharina F., quem casum, quamvis cum reliquis non cohaereat, neque si ad tempus neque si ad naturam morbi respicis, tamen referendum mihi puto, quum inter puerperium morbum ortum esse constet. Haec femina 23 a. n. plena et speciosa et colorata facie, corpore robusto, et ante hoc tempus semper bona valetudine, die 15. m. Januarii justo graviditatis spatio praeterito primum partum sine ulla difficultate edidit. Per primos puerperii dies sana fuit et infantem mammis suis aluit. Sibi ipsi tam sana validaque esse visa est, ut jam quarto die, quamquam nulla venia praebita, paululum lectum suum relinqueret. Die 20. m. Januarii querebatur de capitis dolore et vertigine, et inde a nocte hujus diei alvus profluxit. Arteriarum pulsus erat frequens et plenus. Sanguinis missio facta, eique mixtura mucilaginosa data est. Capitis dolores remittebant,

alvi profluvium autem omnia remedia contemnens sisti non potuit. Mox magna virium prostratio; die 26. m. Januarii delirare coepit, faeces ei invitae abibant, et die 27. m. Januarii vita excessit. Quamquam decursus quidem morbi typho simillimus fuit, in sectione tamen neque in intestinis ulcera inventa sunt, neque omnino aliud quidquam quod de morbi genere lucem nobis afferret.

Inde per aliquod temporis spatium nulla puerpera in morbum incidit; omnes celerrime vires recipiebant, neque ullus accidit morbus usque ad finem mensis Februarii, quo tempore puerpera quaedam morbo correpta est.

Etiam hic casus plane diversus est ab iis qui sequuntur; attamen hunc memoriae tradendum esse censeo, quum et morbus in puerperio demum sit exortus et hic casus ceteris proxime praeierit.

Joanna St. 20. a. n., statura mediocri, colore valetudinem bonam indicante, usque ad 18. aetatis annum bona gavisa erat valetudine; ex hoc vero tempore spasmis hystericis cruciata est, per totum etiam graviditatis tempus durantibus. Ceterum multa simulabat, et quum ei frigidam aquam minarer, extemplo finiti sunt impetus. Per ultimas ante partum hebdomades semper bona valetudine fuit. Die 17. m. Februarii sine ulla difficultate primum partum edidit. — Per primos dies sequentes bene se habuit, secretiones puerperales fuerunt legitimae. Sexto die post partum alvus profluere coepit, cujus rei nulla caussa explorari potuit. Sed hoc dissimulabat, mihique quaerenti semper se optime valere contendebat. Tandem die 24. m. Februarii alvum maxime fluere comperi. Inde magnos sensit in abdomine dolores, qui valde augebantur, si premeres regionem hypogastricam. Quemque motum magno cum dolore fecit. Abdomen tumebat; arteriarum pulsus parvus et frequens, (130), sitis maxima erat, caput dolore vacabat. Haud dubium fuit, quin peritonaeum morbo affectum esset; cujus rei testes erant dolores e levissimo quoque abdominis tactu concepti. Accepit mixturam mucilaginosam; hirudines medicinales 12 regioni

hypogastricae applicatae sunt, quae, calidis fomentis adhibitis, posthac etiam diu sanguinem elicuerunt Postero die status melior non fuit, immo potius pejor; dolor late se fuderat, venter magis tumebat, levissimus tactus maximum excitabat dolorem. Alvi fluxus nondum cessabat. Novus hirudinum numerus applicatus est, e quarum vulneribus in balneo tepido sanguis manabat.

Sub vesperem magnam sensit dolorum levationem; accepit Laudani liquidi guttas tres. Nocte dormiebat per plures horas.

Per biduum unguentum hydrargyri cinereum ei infricatum, et opium dosibus refractis administratum est.

Initio aegrota tarde convaluit; pluribus diebus praeteritis bene se habuit et die 9. m. Martii sanitatem plane recuperaverat, satisque valida dimissa est.

Haec aegrota lectum suum habuit in No. 2.

Inter ipsum ejus morbum feminae quaedam enixae sunt, quarum nonnullae morbo sunt correptae, quamquam alio in cubiculo partum ediderant, et omne cautionis genus adhibitum est, ne illud scilicet morbi contagium ab hac aegrota ad alias puerperas transferretur.

Proxima quae in morbum incidit erat C. St. 32. a. n., corpore tenero, antea semper bona valetudine. Die 27. m. Februarii legitimo graviditatis fine, dum semper bene se habuit, quartum infantem sine ulla difficultate enixa est.

In cubiculo No. 1. lectus ejus positus erat qualibet inter No. 1 et No. 2 conjunctione sublata. Plures puerperae, quae in eodem cubiculo juxta eam cubabant, et eodem fere tempore partum ediderant, omnes optima valetudine gavisae sunt.

Primis puerperii diebus optime se habuit, secretiones puerperales legitimae erant. Post meridiem d. 2. m. Martii horrore levi affecta est, quem mox calor et moderatus sudor secutus est. Sudore adhuc madida lectum temere reliquit, et levi veste amicta diutius extra lectum morata est. Sub vesperem acerrimi abdominis dolores apparebant, praesertim

in regione hypogastrica, qui per noctem tantopere aucti sunt, ut et levissimus tactus abdominis et levissimus motus puerperam vehementissime cruciaret. De cephalalgia magnaque siti querebatur; ciborum appetitus jacebat; temperatura cutis non aucta; lingua muco obtecta, extrema rutila; pulsus celer, parvus, frequens, (120). Aliquot horis post liquidae sedes inceperunt. Quum jam de morbi genere dubitari non amplius posset, aegrota ipso illo die (d. 3. m. Martii) in cubiculum No. 2. trañslata est, ita ut No. 1. quam purissimum atque morbo vacuum esset.

Venaesectiones, hirudinum applicatio, infrictiones unguenti mercurialis, fomentationes, balnea tepida, atque usus mixturae mucilaginosae admixto opio, omnia frustra exhibita erant; aegrotae vires magis magisque decrescebant, alvi profluvia non cessabant, abdomen maxime tumebat, et increscente meteorismo dolores remittebant. Die 6. m. Martii aegrota quidem de nihilo querebatur, quam de magno languore, sed vultus imminentem miseriarum finem indicabat; respiratio difficilis, stertorosa, lingua muco flavo obtecta, totum corpus frigido sudore humidum; mammarum atque uteri secretiones nondum cessaverant. Per noctem somnum capere non poterat, delirio vexata est; musculi singuli convulsi sunt, artuum calor diminutus, pulsus evanuit, et sub meridiem d. 7. m. Martii aegrota vita defuncta est, qui dies octavus post partum, sextus post initium morbi erat.

Necropsia: Intestinorum aëre maxime extensorum tunica serosa vasculis innumeris passim rubuit. Abdominis cavum liquoris serosi modice limpidi continebat uncias 18—20, in quo permulti flocculi natabant, colore subflavo, albumini concreto haud dissimiles. Peritonaeum, quantumquidem uterum amicit levissima tantum inflammationis vestigia ostendit. Ipsa uteri substantia solida, densa; magnitudo justa; pariterque ejus vasa et tunica mucosa sana fuerunt. Ligamenta lata tubaeque Fallopii maxime inflammata, ovaria, in massam pulpiformem redacta, colorem e rubro subnigrum ostendebant, incisione facta e vesiculis Graafianis cruor emanabat. Cruor

in corde majoribusque vasis colore erat subnigro, neque tamen passim particulae deerant coagulatae.

Morbi decursus atque cadaveris dissectio quam maxime perspicuum reddebant, genuinum febris puerperalis casum fuisse; eundemque generis maxime vulgaris i. e. peritonitidis. Morbus in hoc ipso, ut in sequentibus casibus, praecipue in appendicibus uteri sedem habebat, uterus ipse sanus erat.

Maria K. 22. a. n. antea semper optima valetudine gavisa, d. 3. m. Martii hora XI vespertina primum infantem facili partu edidit. Sub meridiem sequentis diei jam non bene se habuit, sed nihil aliud, quam caput grave esse, querebatur. Sub vesperem frigore, quod calor sequebatur, simulque maximis doloribus in regionibus iliacis affecta est. Die 5. m. Martii mane fervidissima febris eam corripuit, pulsus celer erat atque frequens, 120, caput ardens atque rubicundum, abdomen maximis doloribus affectum. Vena brachii incisa caput liberius redditum est; sanguis quam maxime nigricabat, neque pronus erat ad coeundum, seroque abundabat, postea exiguam tantum crustam inflammatoriam praebuit. Alvus clysmate emollita est; binis horis Calomelanos gr. iβ accepit. Sub vesperem melius sese habere videbatur, quum abdominis pressionem sustinere posset, meridie dormivisset, et ipsa se maxime levatam esse sentiret. Pulsus minus celer sed frequentior, 130, erat et mollis. Die 6. m. Martii: Noctem insomnem egerat; dolores abdominis, cephalalgia et vertigo denuo vehementer exarserant, pulsus erat plenus, mollis, frequens (130). Ordin.: Venaesectio; fomentationes, infrictiones unguenti mercurialis et Calomelas ultra adhibentur. Sub vesperem dolores plane remiserant, caput plane liberum, pulsus mollis neque tam frequens erat (110), cutis humida, abdomen inde a meridie valde tumidum, alvus ter laxata erat, lochia parce manant. *Mercurio dulci et infrictionibus ultra utitur.* Die 7. m. Martii. Noctem quietam degerat, dolores non redierunt, venter etiam magis intumuit, pulsus parvus, frequens (135).

Lac copiosius secernitur quam pridie. *Ultra utitur iisdem remediis.* Die 8. m. Martii: Aegrota saepius laxata liquidas et subvirides materias ediderat; animus plane liber, lingua pura, pariter ac per totum morbum. Aegrota de eo tantum querebatur, quod abdomen vehementer extensum ipsi molestiam praebuisset. Die 9. m. Martii: Quamquam aegrota quater et vicies alvum dejecit easdemque subvirides materias multosque flatus edidit, tamen abdomen non minus quam antea tumidum erat, doloribus autem vacabat. Pulsus parvus fieri incipit, frequentia autem augetur (140). *Ordin.: Infus. rad. Valerian. et herbae Menth. piper.; Hydrargyrum omittitur.* Die 10. m Martii: Aegrota somno caruit, quam maxime languescit, animus ipsius minime obumbratus; tenacem ipsa emittit sudorem, spiritus acceleratus est, pulsus parvus, tremens, frequens (140). — Postquam parum juris carnis elixae, cui vitellus ovi admixtus, sicut ipsa postulaverat, hausit, bis in hora vomuit liquorem subviridem et amarum. Sub vesperem frigescebant extrema, pulsus tremebat ut vix digitis experiri possem. Faeces invita emittebat. Respiratio difficilior et stertorosa fiebat. Hora decima diei septimi inde a partu, sexti, postquam dolores eam vexare coeperunt, aegrota extremum spiritum hausit. Animus ejus usque ad dimidiam horam ante mortem, omnino non turbatus erat. Paucis momentis ante mortem saepius vehementer vomuerat.

Quum cadaver aperiretur, in cavo pectoris nihil a justo habitu abhorrens reperiebatur. Sanguis erat tenuis, liquidus, niger et parce coierat. Jecur erat amplum et exsangue, splen et ipse amplificatus et pultis instar emollitus. Peritonaeum per totum ambitum parietum abdominis, intestinorum crassorum et tenuium, maculatim injectum splendore privatum, densatum erat, praesertim in posteriore uteri pariete et in ligamentis latis. Jecoris superficies materia exsudata, quae dimidium digitum fere exaequaret crassitudine, colore subflavo et pulti simili, obtecta erat, quae quidem facile detergi poterat, attamen paulisper cohaerebat, ita ut

membranarum speciem assumeret. In locis proclivibus turbati seri reperiebantur unciae fere 30 ad 40. Intestina passim inter se et cum reti flava materia exsudata conglutinata erant et aëre referta; passim materia faecalis tenuis, subflava, massis friabilibus admixtis in ipsis inerat. Intestini crassi tunica mucosa injecta eaque virgata, intestini tenuis subrubicunda erat. Uterus magnitudine erat vulgari, et in superficie ejus eadem materia exsudata reperiebatur, quae in jecore. Substantia ejus mollis erat, et quum in angulos incideretur, materia purulenta, floribus lactis similis, e variis sinibus emanabat, qui sinus non in uteri parenchymate exstiterunt, sed vasa dilatata erant. Neque tamen utrum venae an lymphatica vasa essent satis subtiliter atque certe investigari potuit, quum neque venae neque vasa lymphatica ultra progredientia ullum puris vestigium praeberent. Ovaria in moles deformes, rubras, pulti similes commutata erant; uteri et vaginae membranae mucosae sanae fuerunt.

In hoc casu id notatu dignum est quod morbus tam brevi tempore post partum incidit, quum aegra jam 12 horis post partum valetudinem afflictam sentiret, et 18 horis post eundem, vehementi frigore orto, omnis morbi vis adesset. — Neque id monere omittam, morbum remisisse visum esse et sine ulla caussa quae quidem animadverti poterat increbuisse, quamquam haec in hoc morbi genere saepius nobis occurrunt.

Maria K., in cubiculo No. 1. una cum compluribus puerperis, a partu recentibus, cubabat, quae tamen sanae remanserunt. Postridie quam aegrotavit (die 4. m. Martii) in cubiculum No. 2. translata est.

Agatha J., 20. a. n. proceritate corporis et habitus vigore conspicua et antea semper bona valetudine gavisa, nocte diei 6. m. Martii, postquam per biduum in eo fuerat, ut parturiret, primum partum edidit. Aegrota quam maxime anxia, magno morbi metu agitabatur. Jam septima hora post partum vehementi frigore affecta est, quod, ubi dimidiam fere horam duraverat, flagrans calor sequebatur. Pulsus frequens (120) et celer, caput grave erat; querebatur, se

cephalalgia, doloribus in utraque regione iliaca et siti vexari. Lochia justum in modum manabant. Statim vena aperta *20 unciae sanguinis* emissae et *binis horis Calomelanos gr. iβ* indita sunt. Quum dolores post meridiem nondum remitterent, locis, qui doloribus vexabantur *hirudines 20* admotae sunt; ex vulneribus inde effectis tepido balneo ultra sanguinem emittebat et abdomen fomentis obtectum est. Lateri interiori femoris unguentum mercuriale infricabatur. Placenta sanguinis e vena detracti crusta inflammatoria caruit. Nocte aegrota paululum dormiebat. Dolores die 8. m. Martii mane aeque vehementer eam vexabant, neque tamen ultra progressi erant. Abdomen non intumuit; ipsa bis alvum exoneraverat. Pulsus plenus, frequens (120). — *Ordin.: Venaesectio unc. x, Hydrargyro interne et externe porro utitur.* Sub vesperem morbi indicia non minus gravia, immo pulsus frequentior erat (130). Salivationis initia apparent. Lac infanti suffecit. *Ordin.: Hirudines 15; balneum tepidum; fomenta; Calomelas ultra datur, unguentum ultra infricatur.* Balneo se fatigatam esse aegre sentit. Pulsus minus frequens (112) et mollis. *Die 9. m. Martii:* Aegrota paululum dormivit, et 4 alvi profluvia habuit; abdomen non tumuerat. Doloribus adhuc vehementer vexabatur, sed iisdem quidem quibus antea locis. Pulsus plenus, et mollis (114) erat. Salivatio incrementum coepit. Lactis secretio imminuta. *Ordin.: Hirudines. Calomelanos gr. iβ Opii gr. β trinis horis.* — Vespere aegrota melius se habuit, quum dolores paululum remisissent, ita ut lateri incubare posset, quod quominus faceret, antea dolorum saevitia impedita erat. Lac secerni fere omnino desiit. Pulsus 114; salivatio augetur. *Calomelas cum opio ipsi ultra datur. Venter fomentis obtegitur.* — Die 10. m. Martii: Aegrota nonnullas horas dormivit. Dolores imminui clare apparet. Abdomen molle neque tumidum; pulsus 110; salivatio augetur. — *Ordin. trinis horis opii gr. β.* Sub vesperem dolores omnino fere remiserant, excepto parvo quodam loco in dextra regione iliaca, qui vel vehementius vexabatur, quam

pridie. Pulsus 80 tantum, plenus, mollis erat; quotidie 4 ad 6 alvi profluvia fiebant. *Ordin. hirudines 15; balneum tepidum.* — Die 11. m. Martii: Noctem non male degerat; dormiverat complures horas. Dolores fere omnino evanuerunt. Pulsus 96. Jam aegrotam convalescere apparuit. Dolores sensim ac paulatim plane recedunt; salivatio idoneis remediis tollitur; vires cibo leni et succulento reficiuntur. Die 30. m. Martii aegrota primo e lecto egressa et octo diebus post plane sana dimissa est. — Mammarum secretio rursus facta non erat; infans inter ipsius morbum mortuus erat, neque vero erysipelate vel alio quodam conspicuo morbo, sed atrophia affectus.

Haec puerpera in cubiculo No. 1. aegrotare coeperat, neque inter morbum inde remota est. Die 5. et 7. m. Martii duae feminae pepererunt, et ipsae in No. 1. cubantes, quarum neutra morbo affecta est.

Josephina St., 22 a. n., mediocri magnitudine, tenero corporis habitu, ore vegeto et florido, antea semper sana, die 8. m. Martii sub vesperem primum partum sine ulla difficultate edidit. Postridie mane adhuc omnino bene valuit. Post meridiem hora quinta vehementi frigore correpta est, quem calor sequebatur. Simul abdomen doloribus affectum, qui utriusque lateris regionibus iliacis maxime inhaerebant. Pulsus frequens et celer erat. *Ordin. Venaesectio unc.* XVIII, *Hirud. med. Calomelanos gr.* II *ternis horis.* Die 10. m. Martii: Dolores minus acerbi. Abdomen paulisper intumuit. Pulsus 130. Cutis fervida, sicca; sitis vehemens; lingua modice obducta erat; mammarum secretio fiebat. *Ordin. Hirud. med., balneum tepidum et fomenta, infrictio unguenti neapolitani; Calomelas.* Post balneum postquam quietum soporem cepit, toto corpore sudare coepit. Somno experrecta se quam maxime levatam sensit, dolores fere plane evanuerant. Nullo negotio erecta sedebat. Lochia justum in modum exstabant. Pulsus mollis, frequens (140) erat. Haec quidem indicia animos nostros ad spem erigebant.

Neque tamen nos toties expertos fefellit, saepissime hujusmodi fallaces remissiones intercedere, easque tum plerique, quando abdomen tumescere coepit. Id in hoc quoque casu evenit, etenim jam sub vesperem venter aliquantum intumuerat. Quum alvum nondum levasset, clysma inditum est. Cetera remedia ultra adhibentur. Die 11. m. Martii: Aegrota postquam per noctem plurimum somnum egit, omnino nihil querebatur, dolores recesserunt. Oris vero habitus quam maxime commutatus erat, lineamenta deformata, oculi concavi erant. Meteorismus incrementum cepit. Bis ipsa liquorem subviridem, amarum evomuit. Siti cruciatur; pulsus parvus, celer, frequens, 150. — Meridie iterum evomuit et bis alvum dejecit. Oleo terebinthinae, a medicis britannicis quam maxime laudato, in hoc casu uti instituimus. Accepit unc. β in emulsione. Sed vomitu hoc ipso remedio aucto, usum ejus omittere coacti sumus. Die 12. m. Martii: Aliquot horis per noctem quiete peractis, sub primam lucem somno experrecta est. Respiratio ipsi molestiam praebuit. Animus non erat turbatus, ita ut quaerentibus plane sana responsa redderet. Aures paululum obtusae erant. Hora undecima lenissima morte e vita excessit.

Quum sectio fieret, mammae adhuc lacte repletae erant. Abdomen valde tumidum erat. In cavo pectoris nihil reperiebatur quod justae normae obesset. Sanguis in corde et in vasis majoribus erat perliquidus, nigricans, particulis coagulatis parce mixtus. Intestina aëre maxime extensa passim vasculis rubebant. Ubique massa transsudata pulti similis reperiebatur, quam supra descripsimus, in hoc quoque casu serosis jecoris et splenis tegmentis membranarum in modum obducta. Loci proclives, praesertim cavum pelvis liquore turbato et aquoso referta erant. Omnis massae transsudatae copia complures sextarios effecit. Jecur erat magnum, mirum exsangue, substantia fulve marmorata. Splen parum tumidus, pultis in modum emollitus. — Membranae mucosae stomachi et intestinorum exsangues, mucosis et tenuibus faecibus obtectae. Renes exsangues. Uterus undi-

que exsudati strato obtectus, parenchyma ipsum, facies interior, collum et orificium legitima erant.

In uteri substantia in hoc quoque casu cava reperiebantur pure impleta, eaque plurima et maxima prope angulos, ubi interdum sub ipso peritonaeo collocata erant, ut vel extrinsecus tangentibus mollitie cognosci possent. Quum autem in ulteriore et venarum et vasorum lymphaticorum progressu pus omnino non exstaret, in hoc quoque casu ad quaenam vasa cava pertinerent, decerni non potuit. Tubae et ovaria quam maxime rubuerunt et haec quidem tantopere erant emollita, ut structura agnosci non posset.

Haec femina in cubiculo No. 3. cubabat, in quo nulla antea cubaverat puerpera, et quo omnino usi non eramus. Ipsa, quum simulac in eo erat ut parturiret, in hoc cubiculum perlata, et complurium feminarum artis obstetriciae studiosarum curae tradita esset, quibus ut cetera cubicula adirent omnino non licuit, plane secreta erat. Attamen in morbum incidit jam vicesima secunda post partum hora. Ubi primum aegrotavit in cubiculum No. 1. translata est, ubi jam aegrota Agatha J. et duae puerperae sanae cubabant. — Etiam haec primum conspicuo frigore jactata est. Morbi decursus erat celerrimus; jam tertio die postquam aegrotaverat diem supremum obiit. Dolores post 24 horas remittentes, quos fortasse secundum omen quispiam habere poterat, indicasse videntur, exsudationem coortam esse, quum inde ab illo tempore abdomen tumesceret. Hoc vero monitum velim, dolores postea denuo non exarsisse, neque id omittam, organa interiora sanguine quam maxime caruisse. Animus in hoc pariter ac in omnibus ceteris casibus, uno tantum excepto, ad mortem usque omnino liber erat.

Duarum feminarum in cubiculo No. 3. die 9. m. Martii enixarum, altera sana permansit, altera Katharina V . . . . morbo correpta est.

Haec erat 27 a. n., corporis habitu valido, antea bona semper valetudine. Tertium infantem prospero partu enixa, primis diebus optime se habuit. Die 12. m. Martii sub ve-

sperem frigore affecta est, quem fervor sequebatur, simul dolores in abdomine cooriebantur.

Antiphlogisticam tantum rationem sequebamur: et sane adhibitis venaesectionibus, hirudinibus, fomentis, alvi emolliendae cura, ut aegrotam reficeremus, nobis contigit. Vires celeriter refectae sunt.

Diebus 11. et 12. m. Martii in cubiculo No. 4. in secunda contabulatione, tum ad puerperarum usum instituto tres feminae pepererunt, neque quaequam morbo affecta est. Die 12. m. Martii in cubiculo No. 3. femina quaedam enixa est et ipsa sana mansit.

Die 13. m. Martii Katharina Th ... in No. 4. enixa et morbo correpta est. Ipsa 33 a. n., mediocri statura, corpore valido, florido ore, antea semper valetudine bona, tertium partum sine ullis gravioribus molestiis edidit. Postridie optime se habuit. Die 15. m. Martii sub primam lucem surrexit ut alvum exinaniret. Inter ipsam alvi depositionem vehementi frigore correpta et, adjuta a custode, quae somno excitata erat, statim in lectum rediit. Frigus per horam fere perstitit, tum sequebatur fervor et sudor. Simul cum frigore dolores abdomen vexare coeperunt. Pulsus erat frequens, mollis, sitis flagrantissima. *Ordin. Hirud. med., foment., Calomelanos gr. III binis horis.*

Eandem rationem per plures dies sequebamur, usque ad vesperem diei 17, quo dolores plane remiserant. Aegrota satis celeriter refecta est.

Jam aegrotarum separatione plane nihil profici apparuit, quum haec femina, quamquam in secunda contabulatione in No. 4., admodum ab aegrotis remota, neque ulla ratione cum illis commercium habens cubuerat, tamen in morbum incidisset.

Ne epidemia ultra propagaretur provisum est, ut eae feminae, quarum partus proxime instabat, in pago prope sito eniti possent. Quarum quidem feminarum omnium, quamquam antea diu in hac domo fuerant, tamen nulla contagium susceperat. Omnes sanae remanserunt

Domum omnino claudere non placuit, quum eae semper recipiendae essent, quae parturientes adventabant, neque quo se converterent habebant; neque deerant inter feminas gravidas nostras, quae, ne dimitterentur, vero seriorem graviditatis finem indicarent. Itaque factum est, ut diebus sequentibus complures etiam feminae eniterentur.

Anna Maria L. 25 a. n., vegeto oris habitu, antea semper bona valetudine, die 16. m. Martii sine majoribus difficultatibus secundum partum edidit. Postridie hora tertia post meridiem, dum quiete in lecto cubat, vehementi frigore correpta est. Simul acerrimi dolores in abdomine oriebantur. Frigus, postquam unam horam et dimidiam duraverat, vehementissimus fervor cum sudore conjunctus, flagrans sitis, cephalalgia secuta sunt. Pulsus erat parvus et frequens (130). Vena incisa, jam postquam octo uncias sanguinis amiserat, syncopis instantis omina intercesserunt. Itaque vena clausa abdominis partibus dolore affectis complures hirudines admoveri jubebatur. Postea abdomen fomentis obtectum est, et ipsi binis horis Calomelanos gr. III dabantur. Noctem turbido somno degit, liquorem aliquoties biliosum evomuit et vehementibus doloribus vexata est.

Die 18. m. Martii mane aegrota tristem praebuit speciem, facies collapsa, perpallida, fere exsanguis erat; vires languescunt; pulsus mollis, et frequens (124); cutis calida et humida; sitis vix explenda; mammae sine turgore, lacte plane carentes; lochia manabant. Quamquam dolorum saevitia iterum sanguinem emitti flagitabat, tamen iterum venam incidere dubitavimus. *Itaque 40 hirudines abdomini admovebantur; fomenta; Calomelas; clysma,* quia alvo adstricta erat.

Pulveris dosin et quaecunque alia sumsit evomuit, neque nobis ullo remedio ut vomitum tolleremus contigit. Dolores usque ad vesperem non remiserant; pulsus frequens (140), parvus, fere vermiformis erat; cutis adhuc calida. Denique ut alvus aperiretur, Calomelani resina Jalapae addita est, sed hanc quoque evomuit. Pulsus minui pergit, singuli

ictus vix percipiuntur. Respiratio accelerata, brevis; abdomen paulisper tumidum erat. Tertia hora mane dolores et sitis cessant; mente alienata loqui incipit; alvus ultro profluit; septima hora deliria vehementius exardescunt; octava hora aegrota vita defuncta est.

Priorum cadaverum dissectionibus Ill. Ill. Nægele pater et filius semper adfuerunt, hujusce etiam Ill. Henle et Cl. Bruch.

In cavo pectoris nil reperiebatur notatu dignum, in pulmone sinistro vestigia pleuritidis priore tempore perpessae. In pulmonibus ipsis sanguis, ut in cadaveribus fieri solet, in partes posteriores recesserat. Utriusque pulmonis parenchyma sanum. In pericardio liquor inerat et copia et indole justam rationem obtinens. Cor ipsum erat solidum atque densum, carnosum, mediocri magnitudine; in cavis ejus, praecipue in ventriculo dextro, coagula fibrinae reperiebantur, neque deerant in vasibus majoribus; cruor perliquidus et colore subnigro. Cavum abdominis liquoris transsudati liquidi atque turbidi, foedo colore, uncias fere 30 sive 40 continebat. Exsudatum densatum non exstabat. Intestina parum aëre expansa erant. Tunica serosa plurimis locis vasculis rubuit. Uterus latitudine palmae super symphysin ossium pubis eminebat. Qui qua parte in cavitate pelvina inerat, i. e. in corpore, vulgari erat colore, sed ubi primum super symphysin eminebat, in superficie anteriore usque ad fundum et in hoc ipso maxime intumuerat, et colorem cerasinum ostendebat. Incisione facta apparuit uterum fere usque ad superficiem internam nigrescere, eo quidem loco, cui placenta adhaeserat. Quum vero color fuscus non usque ad ipsum cavum procederet, inter hanc ipsam maculam et priorem placentae sedem, stratum supererat duarum linearum, justum habitum retinens. Equidem quum vix habeam cui rei hanc uteri mutationem comparem, tamen pulmonem hepatisatum ipsi maxime similem esse dixerim. Substantia hunc in modum commutata, spissa erat neque soluta, neque multo mollior, quam cetera uteri massa. Gangraenam vel putrescentiam

uteri subesse suspicari omnino non poteramus, quum ipsa species his minime responderet. E parenchymate inciso, pariter ac in prioribus casibus, pus densum et floribus lactis simile e vasibus perscissis effundebatur. Angulos et superficiem externam versus majora et pluria ejusmodi vasa exstabant. Inter utramque laminam ligamentorum uteri latorum complura talia vasa pure referta accurate cognosci potuerunt. Unum hujusmodi vas in latere sinistro maxime conspicuum erat. E compluribus radicibus oriebatur, et Ill. Henle venam spermaticam internam sequens, facile cursum ejus fere ad diaphragma usque investigavit. His ipsis Henle, haec omnia vasa pure referta non venas esse sed vasa lymphatica, et sibi et nobis persuasit. — Ductum thoracicum collapsum et vacuum esse invenimus. Neque in vena cava inferiori neque in venis pelvis vestigium puris inveniebatur. Jecur et renes exsangues erant, splen colore subnigro, mollis, justo major erat.

In hoc quoque casu morbus a frigore incepit et quidem jam 29 horis post partum. Sanguinis detractiones nihil effecerunt, ne dolor quidem iis minutus est; atque adeo non prorsus negaverim ipsum aegrotae mortem iis esse acceleratam, quamquam equidem minime dubito eam, alia quoque ratione adhibita, morituram fuisse.

Quamquam abdomen quam minime intumuerat, tamen sectione facta perienteritidem exstitisse clare apparuit. Paulo ante mortem in deliria incidit, quae partim a sanguinis inopia repetenda esse haud plane negaverim. Liquoris in cavum abdominis transsudati indoles plane alia erat, quam in casibus antecedentibus. Omnino tenuis erat; flocculi deerant, qui alicubi in membranas coaluerant. Ex uteri statu apparere videbatur, metritidem revera exstitisse, i. e. inflammationem ipsius uteri substantiae. Ceterum, quum in talibus casibus pars uteri inflammata maxime mollis, laxata, et ad pultis quasi formam redacta esse soleat, massa hoc in casu densior erat, et firmius cohaerebat; sane erat justo mollior, neque tamen ea, quam scriptores indicant mollitie.

Hujus rei causam in eo forsitan reperies, quod hic, morbo tam cita morte finito, inflammatio ad malaciam procedere non potuit.

Notatu dignum est, inflammationem non intus ortam esse, id quod, quum inflammatio in ea ipsa uteri parte exstiterit, cui placenta adhaeserat, maxime forsitan suspiceris, sed a superficie externa, quod inde elucet, quod superficies interna crassitudine duarum linearum sana remanserat. Quod pus in vasis lymphaticis repertum fuit, certe maximi momenti est, et inde certe meo quidem jure contendo, in prioribus quoque casibus pus in vasis lymphaticis, non in venis exstitisse. Querendum est eas, quum venas esse pro certo haberemus, minime satis diligenter atque subtiliter esse investigatas. Duos porro casus hujus rei testes afferam, quum in utroque casu vasa lymphatica pure plena essent.

Anna M. L., in secunda contabulatione in cubiculo No. 4. juxta Catharinam Th. cubuerat. Quum jam in hoc cubiculo puerpera ultra collocari non posset, ad unum ex cubiculis, quibus antea usi eramus, erat recurrendum. Cubiculum No. 3., gase chloro et aëre libero per plures dies immisso, purgatum, plane recentibus lectis exstructum est. Attamen femina, quae die 21. m. Martii prima ibidem partum edidit, die 25. in morbum incidit.

Regina S. 23. a. n., vegeto et florido oris habitu, bona antea semper valetudine, die 21. m. Martii, justo graviditatis tempore per optimam valetudinem praeterito, infantem primum, sanum atque validum, sine majore difficultate peperit. Primo puerperii biduo optime se habuit, sed quum amicus ipsam adisset, animus ejus paulisper excitatus erat. Jam tertio post partum die cibum maxime appetivit, et quod curatrix votis ipsius deerat, aegre ferens, die 23. m. Martii post meridiem, illa absente, surrexit, ut panem, qui in ipso cubiculo praesto erat, sibi sumeret. Cephalalgia sub vesperem coorta per omnem noctem insequentem vexata est; postridie autem magno sanguinis e naribus profluvio plane liberata, die 24. et ineunte die 25. m. Martii optime se

habuit. Die 25. curatrice per breve tempus absente, quamquam ipsi strenue vetitum erat, lectum denuo, leviter amicta, nudis pedibus, ut alvum deponeret, reliquit. Jam nondum in lectum regressa, saevis doloribus regionem hypogastricam inde a regione vesicali usque ad regionem inguinalem sinistram obtinentibus vexata, et simul magno frigore correpta est. Statim in lectum rediit, et brevi post fervidus calor supervenit, per quem cutis sicca remanebat. Pulsus celer, frequens (128); sitis vix explenda erat. *Ordin. V. S. unc.* XVIII; *Hirud. triginta*; *ternis horis Calomelanos gr.* V.

Die 26. m. Martii. Si quiete agebat non amplius dolores sentiebat, quum vero abdomen tangeretur vel moveretur, vehementes dolores excitabantur. Abdomen tumidum atque tensum, uteri secretio legitima, mammarum copiosa erat. Pulsus celer, 110. Lingua muco obducta. Ciborum appetentia deerat. Calomelanos gr. 30 sumtis, septies alvus profluxit. Caput liberum, temperatura ejus modice aucta. *Ordin. 25 hirud. foment. ad abdomen. Infrict. ungt. hydr. ciner.; ternis horis Calomelan. gr. 3, opii gr.* $1/_3$.

Vespere dolores erant imminuti, corpus modice sudabat. Abdomen aeque atque antea intumuerat. Duo alvi profluvia fiebant. Pulsus 128. Post meridiem inter somnum brevem turbide per lectum se volutaverat et verba ediderat. Somno excitata quieta erat et plane sui conscia. *Ordin.: Remedia exceptis hirudinibus tenentur; adduntur sinapismi.*

Die 27. m. Martii. Nocte turbidissima aegrota e lecto surgere et ad amicum festinare contendit, quum se plane sanam esse putaret. Mane oculi vagi atque turbidi erant. Animi non satis compos erat. Verba sensu carentia edidit, interrogata autem justa respondit. Pulsus frequens, 120. Abdomen tumidum, minus tensum; dolores modici et in sinistra tantum reg. inguinali. Hucusque iterum sex alvi profluvia. *Ordin.: Infrictio; foment.; empl. vesic. femoris lateri interiori applicatum.* Jam Calomelanos gr. 48 et opii gr. 2 sumsit. Deliria per totum diem saeviunt, semper lectum relinquere conabatur. Lactis et lochiorum profluvia

fere omnino cessaverant. Sedes frequentissimae et liquidae. Hora septima vesperi subito magna voce clamavit, vehementes abdominis dolores querens, quos vel levissimus abdominis tactus valde augebat. Mox vero querelarum finis aderat, quum statu, syncopi simili, abriperetur. Corpus motus omnino expers; artus extensi neque rigidi, sed facile flexibiles; facies pallida; oculi aperti et rigentes. Respiratio vix audienda. Temperatura corporis paullo imminuta. Pulsus sicut antea 120. — Nomine clàra voce clamato et corpore manibus concusso omnino non commovebatur. Neque spiritus salis ammoniaci aut alii, qui praesto erant odores, naso admoti, quidquam effecerunt. Quum facies aqua frigida vehementer conspergeretur, paulisper quidem exhorruit, neque tamen ad sanam mentem rediit; musculi, tamquam spasmo affecti, convulsi sunt, palpebrae aliquoties intremuerunt, tum in priorem statum denuo incidit. Cera hispanica fervente in volam manus instillata, id tantum effectum est, ut digiti lente contraherentur. Abdomen pressum, quum antea maximos dolores excitaret, jam neque faciei neque ipsius abdominis musculos irritavit. Dimidiam fere horam ita egit, variique ipsius excitandae conatus irriti erant. Amicus, quem jam mane expectavimus, hoc ipso temporis momento advenit; eum ad lectum adire jubebam, experturus, num ipsius voce animus illius revocaretur. Quum magna voce ei salutem dedisset, somno excitata, e lecto se erigit, oculos aperit, omnes qui aderant vicissim rigido vultu intuetur. Jam illum cognoscit, nomen appellat, amplectitur. Inde plane sui compos esse videbatur, nisi quod desiderium ipsius amicum sequendi, quum optime se haberet, eam mente adhuc quodammodo alienatam esse indicavit. Ceterum quiete et sane loquebatur per quartam horae partem, qua amicus aderat. Ubi vero primum ille discesserat, oculis semiapertis jacebat, et loquacissime garriebat, in omnia, quae circa ipsam agerentur, animum acutissime intendens. Quodcunque verbum vel voce lenissima editum, quin alienarum linguarum verba, reddebat. Interdum autem plane

sana quaerebat, ut eam sermonum adstantium sensum percipere appareret. Quaesita juste respondebat, statim vero rursus in deliria garrula incidit, in quibus plerumque de amico agebat. Tempore, quo mente et motu caruit, pulsus non est commutatus. Sicut antea et postea erat mollis, frequens, fere 120 sive 130. Glaciem capiti imponi et emplastra vesicatoria suris admoveri jubebam. Calomelanos gr. 2, quae eam una quaque hora sumere volui, non hausit, sed iterum iterumque respuit. Abdomen maxime tumebat; regio hypogastrica nunc doloribus affecta. Facies non rubebat; temperies capitis non aucta. Postquam haec deliria garrula per aliquantum temporis duraverunt, et quietior reddita est, priorem animi torporem instare suspicabar. Iterum extensa dorso incubabat, oculis semiapertis, ne unam quidem vocem edebat; brachia tantum assidue movebat, multiplices gestus agens eosdemque omnes lentos et compositos, quasi machinae ope temperatos. Postea subito se erexit, brachia expandit, tum in lectum relapsa sine motu jacebat. Lumine admoto pupillae contrahebantur, quin etiam oculos clausit. Aliquantulo temporis per quietem praeterito, deliria denuo inceperunt et ne lecto surgeret, manibus retineri debuit. Lacrimas fundens, se ipsam increpitat, se antea nos turpiter fefellisse, quum, quaecunque accidissent, vidisset et audivisset. Et re vera compluria, quae ipse tum feci et dixi, protulit. Se tamquam omnibus artubus vinctam fuisse, neque ullo modo se movere potuisse. Omnia a nobis ad eam placandam prolata, irrita erant, et postquam per aliquantum etiam temporis ita loqui perrexit, decima demum hora mitigata est. Tum rursus de saevis abdominis doloribus querebatur, et tacta in maximas querelas effusa est. Per noctem quieta erat sed non dormiebat. Glacies in capite remanebat. Die 28. m. Martii. Quum eam hora decima mane viseremus, plane sui compos ad omnes quaestiones recte quidem sed lente respondit. Sub meridiem deliria denuo cooriebantur, jam vero leniora. Infantem ut videret postulabat, quum vero ipsi amicum eum secum abstulisse diceretur, placata est.

Pulsus celer, frequens, fere 110 sive 120; sitis magna; cutis calida, sicca; temperatura capitis non aucta. De doloribus abdominis maxime extensi non amplius queritur. Sub vesperem faeces invita seposuit. De valetudine bona, quum bene se haberet, mox reditura pleraque verba fecit; et futuro tempore suscipienda mente agitavit. Denuo ipsi empl. vesic. impositum est et quidem ad nucham. Glacies, quae deliria lenivisse videtur, porro adhibetur, id quod ipsa libenter tulit.

Die 29. m. Martii. Vires maxime languescebant, ut vix sine ope erigi posset. Oculi concavi; nasus acutus; labia et lingua sicca; vox parva; respiratio legitima; mammae turgore carentes; abdomen maxime tumidum, neque tensum ut pridie sed laxum, neque dolens. Emplastrum in nucha magnam effecerat vesicam, neque tamen inde ipsi dolor natus est. Semper adhuc deliriis mussitantibus vexatur, e quibus autem facile excitari potest. Pulsus parvus, debilis, frequens 120. Ordin.: Binis horis camphorae gr. $\frac{1}{2}$, et infusi radicis Valerianae unciar. 5 (ex unc. $\frac{1}{2}$) quavis hora cochlear. Cibo utitur jure carnis elixae cum vitello ovi, potu emulsione amygdalina sive aqua ad ipsius arbitrium. Vespere vires magis etiam collapsae. Oris habitus stupidus; oculi splendore carentes; pulsus parvus, debilis, frequens (140). Noctem deliriis maxime turbatam insomnem degebat.

Die 30. m. Martii. Hodie primum post complures dies se aegrotam esse ipsa sentit. Cephalalgiam et dolores in emplastrorum sedibus queritur Vultus habitus liberior, minus stupidus. Responsa prompte et recte reddit. Pulsus paulo magis viget, 110. Ordin.: Eadem remedia porro adhibentur. Per diem erat quieta, paululum dormiebat, plane sui compos; alvus non amplius ultro profluxit. Quum lectus mutaretur, suis ipsius pedibus insistere quam maxime desiderabat, quum antea semper manibus esset translata. Quamquam vires maxime deerant, tamen curatrici innixa, aliquot passus per cubiculum facere potuit. Vespere animi turbatio rediit; pulsus frequentior, 126. Nox turbidissima.

Die 31. m. Martii. Mane virium collapsus auctus erat. Faeces denuo ea invita manare coeperant. Subsultus tendinum tantus erat, ut pulsus debilis vix percipi posset. In pectore innumerae et majores et minores vesiculae liquore limpido tumentes, quae quin miliariae essent dubitari non potuit, exstiterant; quando illae primum exortae sint, non constat, quum hodie primum conspicerentur. Deliria lenia assidue durantia, interdum tantum acerrimis vocibus interrupta sunt. Mala indicia augebantur, sed inter ipsa deliria quaerentibus respondit. Quaecunque remedia ipsi indita erant, evomuit. Die 1. m. Aprilis hora sexta matutina respiratio fiebat difficilis, postea stertorosa, hora 8½ e vita excessit.

Cadaveris sectio praesentibus Ill. Ill. Nægele, patre et filio, Ill. Henle, Cl. Bruch et compluribus artis obstetriciae studiosis facta est. In cavo cranii nihil notatu dignum reperiebatur, nisi in superficie interna cranii exiguum tantum osteophyton. E sinibus cruor niger et liquidus profluebat. Meninges non affectae erant, cerebrum ipsum satis densum et firmum, exsangue, pariter ac plexus. In cavo pectoris nihil nobis occurrit a vulgari cadaverum habitu abhorrens. Cordis ventriculus dexter sanguinem perliquidum multis coagulis mixtum continebat. Jecur magnum, ipsum quidem exsangue, quum venae ejus majores sanguine tumescerent. — Lien amplificatus et emollitus erat. Omnia intestina aëre expansa et exsanguia, materia exsudata molli illita cohaerebant. Passim vascula minima sanguine rubebant, maxime in ea peritonaei parte, quae parietem abdominalem in regione hypogastrica cingit, ubi illud etiam densatum est et splendore caret. Massa exsudata omnino minus copiosa exstat, quam prioribus casibus et liquida plane deest. Tunica mucosa intestini ilei pluribus locis, quasi macerata, muco tenaci et stercore emollito oblita erat. In colo descendente et sigmate romano et in intestino recto loca nonnulla inveniebantur, quae mucosa privata erant, ulceribus haud dissimilia. — Uterus ea magnitudine erat, qua tam brevi post partum

tempore esse solet, et laxus; serosa, e rubro fusca et livida, pluribus locis eminebat, quum sinus parvi et parum profundi. illi ipsi subjecti, eam tollerent. Ovaria magnitudine conspicua, mire pallida; tubae colore sordido, sanguine plenae; ligamenta uteri lata inflammationis vestigia prae se ferunt et inter laminas eorum vasa apparent pure referta, quae quum ultro investigaveris, vasa lymphatica esse cognosces. In uteri mole, praesertim ad fundum, majores aliquot sinus exstant puris pleni, qui angulos versus magnitudine et numero augentur. Glandulae lymphaticae lumbales et iliacae maxime tumidae et nonnullae eosdem sinus, puris plenos, quales uterus, continent. Ductus thoracicus et venae abdominis et pelvis sanae et pure vacuae sunt.

Quod ad hunc casum attinet, certe omnium maxime commemoratu dignus est, ob morbi casus mire mixtos. — Jam primordia morbi ab omnibus aliis casibus differebant. — Etenim puerpera a cephalalgia, qua die tertio post partum vexari coepta est, sanguine e naribus ultro promisso, postridie liberata, optime se habuit. Die demum quinto frigore correpta est et quidem, postquam leviter induta lectum reliquerat, et statim post abdomen dolore vexari coeptum est. Jam postridie deliria exstabant, et morbi die tertio, septimo post partum in istum ambiguum atque obscurum statum incidit, in quo, quum et audiret et videret, tamen cujusque motus expers, et velle et meditari posse desiisse videbatur. Paralysis quasi voluntatis suberat. Aegram tamen rebus externis tangi inde apparuit, quod postea ipsa ea quae per hunc statum et audierat et viderat referebat, quamquam impressionibus acceptis, ne dicam omnino non, certe quam minime reagere potuit. Etenim quum cera hispanica fervida instillata manum lente contraxisset, quamquam abdomen, paulo ante tam promptum ad dolores, jam pressum nullum doloris signum edebat, tamen eam aliquo modo adhuc contra impulsus externos reagere potuisse apparet. Utrum sponte ex hoc statu excitata sit, an amatoris appellatione, decernere vix audeo. Etenim quamquam illud nobis verisimile esse

videtur, tamen et amatoris adventui aliquid imputabimus, quum reputaverimus, eam hunc ipsum jamdudum quam maxime desiderasse et per deliria semper ei obversatum esse. — Quonam nomine hunc statum appellem ipse ignoro, quum epilepsiae similis omnino non esset, neque unquam ipsi epilepsiae impetus supervenissent; eclampsiam non fuisse, quam quis, praesertim quum ipsa primum partum ediderit, suspicari queat, multis rebus probari potest. Si omnis ipsius aegrotae conditio alia fuisset, hysteriam vel simulationem subesse dixerim, sed quis est qui credat eam, quum tam gravi morbo fuerit correpta, vel simulasse, vel hysteriae impetu fuisse occupatam.

Quanta potui maxima diligentia atque subtilitate hunc casum, quum animum meum quam maxime in se converteret, et observavi et descripsi, neque similium casuum descriptiones non investigavi; sed nullum reperi, qui huic plane responderet. In asphyxia quidem similes interdum status intercidere dicuntur, nullum vero reperi, huic vel tantillum similem. Itaque in hoc mihi acquiescendum est, ut ea, quae ipse meis oculis vidi, commemorem.

Hic status non rediit, etenim ubi primum rediturus esse videbatur, deliriis denuo exardentibus interruptus est.

Per consequens biduum statu plane typhoso tenebatur et magis magisque collabebatur. Die sexto post frigoris impetum primum se revera aegrotare ipsa sentit, quum ipsam melius quam diebus antecedentibus se habere ex eo appareret, quod multo quietior, animo minus turbata erat, et faeces ultro non amplius profluebant. Neque vero diu melius se habuit. Postquam jam sub vesperem in priorem statum recidit, magis magisque perditum ivit. Die primo mensis Aprilis hora octava, die undecimo post partum, nono postquam aegrotare coeperat, diem supremum obiit.

Neque sectione mira atque tot rebus implicata morbi indoles explicata est, quum osteophytum tam exiguum esset, ut ipsum nullius mirorum illorum morbi casuum causa esse posset. In cavo abdominis massa exsudata non inveniebatur,

sive omnino non exstabat, sive, quum morbus diutius perdurasset, jam resorptione evanuerat.

Erosiones in inferiore parte intestini crassi cum ulceribus, qualia in dysenteria exstare solet, comparari possunt.

Dubitari non potuit, quin pus in vasis lymphaticis exstiterit, quin etiam glandulae inflammatione intactae non remanserant et partim in pus transierant. Exstabat igitur peritonitis et lymphangioïtis.

Haec aegrota in No. 1 cubuerat; alia quaedam puerpera pone ipsam collocata et ipsa in morbum incidit.

Th. D... 26 annos nata, ore vigens et florens, die 22. m. Martii sub justum graviditatis finem tertium partum sine difficultatibus justo majoribus edidit. Sequente die optime se habuit. Die 24. tertia hora matutina, quiete in lecto jacens vehementi frigore horruit, quod per dimidiam horam duravit; hoc sequebantur fervor, sitis saeva, cephalalgia, vehementes dolores in reg. inguin. sin. Pulsus celer, frequens (110) erat. Hirudines ipsi admovebantur, et e vena incisa XII unciae sanguinis emittebantur; simul ei Calomelas dabatur. Sanguine emisso dolores remittebant et aliquot diebus praeteritis plane evanuerunt. Pulsus per complures etiam dies frequens erat, sed mollis. Calomelam per biduum adhibere continuavimus. Tum nullis ultra remediis adhibitis satis brevi tempore convaluit.

Eodem die, quo haec aegrotare coeperat, in eodem cubiculo No. 3 femina peperit; neque eam morbus corripuit, neque alteram gravidam, eodem die in cubiculo gravidarum, quod plano pede est, tam subito enixam, ut antea in aliud cubiculum transferri non posset.

Die 26. et 27. duae feminae in secreto quodam parvo cubiculo in quo nulla hucusque puerpera cubuerat partum ediderunt, et neutra in morbum incidit.

Duarum feminarum, quae die 27. in cubiculo No. 4 pepererant, per plures dies vacuo, chloro purgato, aëris flatui exposito et novis lectibus exstructo, altera sana remansit, altera in morbum incidit.

R. B. die 27. m. Martii hora undecima vespertina, postquam per 48 horas in eo fuerat ut parturiret, primum partum edidit. Propter dolores ad partum non sufficientes et acerbos hora quinta vespertina e vena incisa unciae nonnullae sanguinis emittebantur, quo facto dolores ad normam redacti mox partum ad finem perduxerunt. Postquam noctem somno quieto degit, postridie mane hora octava subito frigore correpta est, per minimum tantum temporis spatium perdurante, quod fervor et sudor sequebantur. Simul cum frigore abdominis dolores exstiterunt regionem inguinal. dextr. obtinentes, neque tamen acres. Pulsus mollis, vacuus, frequentissimus (145 ad 150); caput liberum; sensus non turbati; lingua pura; gustus bonus; ciborum appetentia aderat. Siti maxime vexabatur. Alvus inde a partu nondum laxata erat. Respiratio soluta erat. Mammae lacte tumentes infanti sufficiens alimentum praebent. Lochia copiosa; cutis calida et halans. Quum neque abdomen gravibus doloribus vexaretur, et lochiis copiose profluentibus satis magna sanguinis copia amitteretur, et pulsus mollis et vacuus esset, sanguinem e vena emittere non jam placuit. Itaque tantum viginti hirudines abdomini admovebantur. — Postmodum fomenta, Calomel. Vespere dolores plane evanuerant, neque abdomine graviter compresso excitabantur. Pulsus mollis, vacuus, frequens. Nocte turbidissima parum dormiebat; dolores redierunt.

Die 29. m. Martii. Aegrotae habitus deterior factus est, facies pallida, collapsa. Magnum languorem queritur. Caput liberum vertigine vacat, animus et sensus non turbati; pulsus paulo validior, 120. Abdominis dolores vehementius saeviunt et majus spatium amplectuntur, quam morbi initio. Abdomen molle est et minime tumidum. Sitis maxime fervet. Quinquies inde ab hesterno die mane faeces emisit. Respiratio quidem soluta est, tusse tamen paululum aegrota vexatur. Mammae lacte tument. Lochia parcius manant. Ordin. 20. hirud., ungt. hydrarg. ciner., Calomelanos grana

duo binis horis, fomenta. — Vespere dolores post sanguinis emissionem imminuti sunt. Ad evomendum paulisper inclinat; neque tamen evomuit. Ceterum ipsius status idem remansit. Languescit; pulsus subdurus, satis vacuus, frequens (120). Ordin.: Vesicans ad abdomen. Vespere in deliria mussitantia incidit, quae ad mediam usque noctem perdurabant. His mitigatis aliquamdiu quiete dormivit.

Die 30. Aegrota melius se habere videtur, pulsus non tam vacuus, lingua humida est. Animus non turbatus. Postquam saepius evomuit, ad evomendum non jam inclinabat. Abdomen exiguis tantum doloribus vexatum molle est neque tumet. Mammae lacte abundant. Lochia adhuc parce manant. Sitis minus urit. — Meridie ciborum deglutitio ipsi molestiam praebere coepit, neque tamen in faucibus rubedo neque erosiones apparuerunt. Usque ad vesperem bis faeces emisit. Aegrota se magis languescere sentit, quam mane; pulsus mollis, parvus, 120.

Die 31. Aegrota mortuae instar collapsa est; dolores in faucibus aucti sunt; uvula et velum palatinum paulisper rubent. Respiratio accelerata, tusse aliquantulum impedita. Dolores abdominis vehementiores redierunt, abdomen non tumet; faeces semel ultro profluebant. Ad vesperem usque omnia indicia in deterius mutantur. Nona hora pulsus vermiformis evasit, vix percipi potest. Decima hora dolores evanescunt neque quidquam est quod queratur; ne siti quidem vexatur. Media fere nocte maxime turbatur et sollicitatur; e lecto surgere contendit; usque ad horam tertiam matutinam deliriis saevit. Extrema corporis frigescunt, alvus sponte profluit, et die 1. m. Aprilis quinta hora matutina diem extremum obit.

Quum sectio fieret, mammae adhuc lacte erant refertae; musculi exsangues; pulmones legitimi; cor laxum; in ventriculo ejus dextro cruor inerat niger et spissus, in sinistro coagula quaedam fibrinae. Jecur magnum, exsangue; in majoribus tantum ejus vasis cruor inerat niger et liquidus.

Splen auctus et emollitus. In stomacho secundum curvaturam magnam multae exstabant erosiones limbis subnigris cinctae, ad tunicam mucosam tantum pertinentes. Glandulae lenticulares Bischoffii passim intumuerunt. Intestina parum tantum aëre expansa, neque inter se conglutinata. Glandulae solitares per omnem tractum intestinalem tumidae erant; glandulae Peyerianae et ipsae paulisper tumidae super tunicam mucosam eminebant. Uteri laxi superficies interior massis sordidis, subnigris, floccidis obtecta erat, quae facile detergi poterant, et sub quibus uteri tunica mucosa plane sana apparebat. — In uteri substantia vasa lymphatica reperiuntur pure referta et amplitudine conspicua, quae angulos versus crebriora exstant. Tubae maximeque ovaria vehementer rubescunt. Glandulae lymphaticae sacrales et lumbales tumidae et pure imbutae, venae iliacae et vena cava cruore nigro et coagulato refertae. Pus in iis omnino non inveniebatur. — Peritonaeum parietis abdominis in regione hypogastrica leviter vasculis rubuit, id quod cum parva copia massae exsudatae in cavo abdominis congruit.

Hujusce feminae morbus fortasse inde repeti poterit, quod tam diu partu laboravit, quamquam aliis temporibus, quum quidem epidemia non exstat, dolores partus per 48 horas durantes praesertim in primo partu hunc morbum non provocare soleant. Jam novem horis post partum morbus, pariter atque in omnibus casibus prioribus, a frigore incepit. Cito morbi decursu mox corpus collabi coepit. Abdominis dolores acriores non exstabant, neque, quum sectio fieret, magna inflammationis vestigia reperiebantur. Vasa autem et glandulae lymphaticae vehementer inflammata erant Commutationes tunicae mucosae stomachi et intestinorum ab ipso morbo repetendas esse mihi non persuaserim, sed a Calomelane accepto et copiosis alvi profluxibus.

Haec quidem postrema oppressa est hac epidemia parva sed certe commemoratu quam maxime digna.

Ill. Nægele id sedulo curaverat, ut eae feminae, quae

ad graviditatis finem perventurae essent, e lechodochio remotae alio loco parerent. Cui quidem rationi quum jam omni severitate instaremus, mox domus puerperis omnino vacua erat. Itaque fieri potuit, ut domus ad novas puerperas recipiendas justo modo pararetur et institueretur.

Nono demum die mensis Aprilis prima rursus puerpera in domo nostra enixa est, sed jam febris puerperalis inde recesserat. Itaque quum subinde quotidie fere partus acciderent, puerperae nostrae non minus cito convalescebant, quam ante epidemiam exortam.

Si primum casum excipimus, quod ceteros septem hebdomadibus antecedebat, 11 puerperae in morbum inciderunt, quarum sex mortuae sunt.

Die 24. m. Februarii prima puerpera hoc morbo correpta est, et die primo m. Aprilis postrema e vita excessit. Itaque epidemia per 5 hebdomades perduravit. Inter hoc temporis spatium 34 feminae enixae sunt. Omnes puerperae, quae in morbum inciderunt, legitima ratione pepererunt, neque ulli artis ope subventum est. 34 puerperarum per has 5 hebdomades enixarum 12 primum partum ediderunt, 22 jam pepererant. Inter 12, quae in morbum inciderunt, 6 primum partum ediderunt, 5 tantum jam pepererant; itaque earum, quae primum pepererant, dimidia pars morbo correpta est. Inter eas, quae mortuae sunt, 4 erant, quae primum pepererant; duae tantum jam antea pepererant. Ex his apparere videtur, eas quae primum pariunt huic morbo magis esse obnoxias, quam quae jam antea pepererunt, ipsumque morbum illis cum majore periculo esse conjunctum; etenim etiam A. J . . . ., quae morte quidem non abrepta est, sed morbo acerrime afflicta est, tum primum partum ediderat.

Omnibus singulis casibus id commune est, ut a frigore inciperent, minus magisve acri, semper autem perspicuo. Porro omnium morbi eodem fere modo eodemque temporis spatio decurrerunt. In nullo casu frigor rediit, id quod

alias saepe observatum est. In iis casibus, in quibus meteorismus intercedebat — qui quidem in omnibus fere exstabat — inde ab eo tempore, quo auctus est, dolores antea acerrimi maxime remittebant et etiamsi postea redirent, nunquam pristinam saevitiem recuperabant.

Secretiones mammarum et uteri nunquam subito supprimebantur, sed inter ipsum morbum fieri pergebant. Itaque neque suppressio vel resorptio lochiorum, neque lactis metastasis morbo tamquam causa subesse potest.

In sectionibus semper massam exsudatam in cavo peritonaei reperiebamus, plerumque copiosissimam, in postremo tantum casu exiguam. Plerumque exigua inflammationis vestigia ingenti massae exsudatae copiae non respondebant; plura enim inflammationis vestigia exspectabis, si magnam massae exsudatae copiam, praesertim floccidae respexeris. Et haec impar ratio copiae exsudatae et inflammationis et propria hujus massae indoles mihi probare videntur, hujus massae maximam certe partem non ex inflammatione originem ducere, sed illam potius esse massam, quae, ut corporis partes alat atque augeat, semper e sanguine secernitur. Etenim si vasa resorbentia munere suo funguntur, haec secretio non animadvertitur, quoniam abundantia semper resorbentur; sin autem vasa lymphatica, ut in his casibus, inflammata muneribus suis fungi non possunt, exsudata quum resorberi desinant colliguntur. — Ill. Henle hanc explicandi rationem amplectitur, et phlegmasiae albae originem eodem modo explicandam esse censet.

Parvos illos sinus in uteri parenchymate pure refertos, quos saepius invenimus, Ill. Henle vasa lymphatica esse censet expansa. Et sane in his ipsis casibus vasa lymphatica ultra decurrentia pure erant impleta, quin etiam glandulae. Messner *), qui et ipse hos sinus reperivit, tot

*) Zur Lehre von den epidemischen Entzündungen der Wöchnerinnen. Eine Inaugural-Dissertation unter dem Präsidium von F. G. v. Gmelin. Tübingen 1843.

abscessus in ipsa uteri substantia esse censet, inflammatione hujus substantiae (myometritis) effectos. Sed huic explicandi rationi, quamquam tota ipsius sinuum illorum descriptio cum iis, quae nos observavimus, optime congruit, tamen equidem assentire omnino non possum. Etenim si substantia ipsa inflammata fuisset, certe sectio hujus inflammationis vestigia ostendisset, neque tela circa hos sinus tam justam atque normalem speciem retinuisset, qualem vidimus. Praeterea horum sinuum parietes membrana erant obducti, et pure expresso duo ores reperiebantur, sicut in arteriarum aneurysmatibus. In uno tantum casu uteri parenchyma ipsum in loco quodam commutatum erat, et ipse crediderim, ibi inflammationis primordia exstitisse. At sinus in hoc quoque casu conspicui, ab inflammatione repetendi non sunt, quum a loco commutato remoti pariter invenirentur; sed erant et ipsi vasa lymphatica expansa et inflammata.

Recentiore aetate Botrel *) vasorum lymphaticorum inflammationem in febri puerperali amplissime et ingeniosissime observavit. Res ab ipso observatae plane cum iis congruunt, quas nos reperimus. Et ipse hos sinus invenit et, quum eos accuratius perscrutatus esset, vasa lymphatica extensa esse judicavit. Pariter ac nos ipsi ille vasorum lymphaticorum truncos vel ab utero remotos usque ad glandulas inflammatos esse reperit. Verba sunt:

> *Tous les lymphatiques utérins sont remplis d'un pus blanchâtre et demi-concret, aboutissant à des ganglions triples de volume, d'un aspect grisâtre, ramollis; leur incision fait voir, que ces altérations pathologiques sont le résultat d'une infiltration purulente et de l'inflammation du tissu cellulaire interlobulaire.*

---

*) Mémoire sur l'angioleucite utérine puerpérale par M. Botrel, interne à l'hôtel Dieu de Rennes. — Arch. gén. de Med. T. VII. Avril 1845. — T. VIII. Mai et Juin 1845.

Presque tous (les lymphatiques) sont superficiels . . . . . .

Botrel quoque censet, vasa lymphatica primum inflammari et inflammationem ab his profectam demum in peritonaeum transire; quin etiam quemquam peritonitidis puerperalis casum a vasorum lymphaticorum inflammatione repetendum esse suspicabatur, nisi forte causa traumatica intercessit. Rationem explicandae originis exsudationis supra indicatam apud eum non invenimus.

Quum apud nos morbus nunquam post diem quintum a partu inciderit, posthac corpora huic morbo omnino non amplius obnoxia esse videntur.

Nobis aegrotarum segregatio quam maxima diligentia facta omnino non profuit; et quamquam hac re morbum contagio oriri non refutatur, tamen id mihi inde elucere videtur, morbi naturam esse miasmaticam. Neque tamen negaverim, hunc morbum, quum semel exstiterit, multis puerperis vel aegrotis una cubantibus, periculosiorem reddi, et fortasse etiam contagium oriri posse.

Eodem tempore, quo apud nos febris puerperalis saeviebat, in multis quoque aliis institutis obstetriciis hujus morbi epidemiae grassabantur. Neque vero, quantum mihi quidem cognitum est, alia harum epidemiarum descriptio promulgata est, quam Dublinensis, quae uno eodemque tempore, quo nostra grassabatur. Praeterea eodem tempore Pragae, Hafniae aliisque locis epidemias saevisse scimus.

Jam de hujusce nostrae epidemiae vi in gravidas et non gravidas, quam nonnulli subesse contendunt, pauca verba faciam. Nos nihil ejusmodi animadvertimus. Etenim quum tunc fere 50 sive 60 gravidae et 30 feminae artis obstetriciae studiosae, quae simul custodes in cura aegrotarum adjuvabant, in domo nostra versarentur, omnes sanae remanserunt, excepta una obstetrice, quae vehementi erysipelate faciei corripiebatur; post 14 tamen dies morbo liberata est.

In urbe tum multi typhi exstiterunt et omnes morbi ad statum typhosum inclinabant. Hujus rei pariter ac febris puerperalis causae fortasse a magnis eluvionibus, quae tunc temporis urbi supervenerunt, et ab humida et pluviosa coeli temperie repetendae sunt. Ubi temperies certior et melior fieri coepit, epidemia apud nos cessabat, et in ipsa urbe cujusque morbi casus rariores accidere coeperunt.